DE SHAKSPERII FABULA
QUAE
„TROILUS AND CRESSIDA“
INSCRIBITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

LAURENTIUS BOENING

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXX.

Scripturo mihi de aliquo Shaksperii dramate quum subtimendum sit, ne ululas Athenas, vel Britannorum dicendi more carbones Noviocastellum portare videar, quoniam in hujus poëtae fabulis docte examinandis, accurate definiendis, subtiliter explicandis tantum operae et studii collocatum est, ut quivis labor, hoc consilio sumtus, parum utilitatis praebiturus videatur: attamen istam fabulam, quum in numero Shaksperii dramatum, tum in historia dramatis literaria tam singularem locum obtinere opinor, illaque dicta explanatorum studia illustriora potissime hujus ingenii poëtici carmina spectant, ita ut harum rerum ratione habita amplius atque accuratius quam ab ullo Britannorum vel Germanorum Shaksperii enararratore factum novi, hoc ipsum drama pertractare conatus sim.*)

Quod pertinet ad tempus, quo poëta fabulam condiderit, magno cum consensu et majore etiam probabilitate gravissimi auctores anno MDCIX. primum eam in scena datam esse confirmant.**)

---

*) Confirmor praeterea Goethio adhortatore, cujus de Shaksperii ingenio sententiam hoc loco commemorare liceat: „Es ist, ait, über Shakspeare schon so viel gesagt, daß es scheinen möchte, als wäre nichts mehr zu sagen übrig; und doch ist dies die Eigenschaft des Geistes, daß er den Geist ewig anregt." — Neque me a proposito deterrent Coleridgii verba, quae Gervinus profert: Subjects on which I should find it difficult, not to say too much, though certain after all, that I should still leave the better part unsaid, and the gleaning for others richer than my own harvest.

**) cfr. Collier's Shakspeare VI. 5. Charles Knight Shakspeare's Illustrated Works II. 3.

Nic. Delius, Shakspeare's Werke II. Troilus and Cressida, Praefat. p. 2.

Neque reperitur discrepatio inter doctos de fundamentis in quibus argumentum positum sit, quum omnes doceant, Chauceri poëma epicum „Troilus and Creseide“ principem fabulae fontem fuisse, praeterea Lydgatii „The Troye Boke“, Caxtonii „History of the destruction of Troy“ et Homerum a Chapmanio translatum adventicia poëtae adjumenta praestitisse.

Difficultates, quae plurimae examinatori se offerunt, ethicam et scenicam fabulae proprietatem respiciunt. — Primis, qui eam ediderunt, Britannis ne exploratum quidem erat, cui ordini carmen ascriberent. In prima editione quartanaria anni MDCVIII. nominatur in indice „Famous History“, sed in praefatione rursus dicitur Comoedia. In editione maxima anni MDCXXIII. nomine „Tragedy of Troilus and Cressida“ appellata ut subsequeretur „Romeo and Juliet“ editores intendebant. Sed quum intellexissent, singularem hanc fabulam neque esse Tragoediam, neque Comoediam, neque Historiam, idcirco fabulae, inter Tragoedias et Historias, interpositae, quod nomen dandum esset, lectoris arbitrio permiserunt.*) Ita fabula a Britannis Germanisque auctoribus et Comoedia et Tragoedia et Historia promiscue appellatur; a N. Delio in indice editionis A. 1855 drama nostrum tragoediis ascriptum postea in praefatione tragicomoedia nominatur.

Respondent diversis his nominibus opiniones discrepantes de virtute literaria, quae huic fabulae attribuenda sit. Prae ceteris Britannorum scriptoribus Knightius et Coleridgius hoc opus summis laudibus illustrant. Prior his ferme verbis utitur: „In nulla alia fabula Shakspearii ingenium tantam vim in materia poëtica conformanda ostendit. Magnum Homeri poëma, rudis, quae de Trojae disturbatione traditur, narratio, ipsa fabula a Chaucero elaborata: haec omnia mirabili poëtae alchymiae subjiciuntur, atque novae formae compositionesque nascuntur tam vividae, ut omnes, quae antecesserunt, repraesentationes non virorum et feminarum

*) cfr. Knight, Troilus and Cressida, Praef.

calentium, sed rigidarum statuarum speciem prae se ferant. „In no play does he appear to us to have a more complete mastery over his materials or to mould them into more plastic shapes by the force of his most surpassing imagination. The great Homeric poëm, the rude romance of the destruction of Troy, the beautiful elaboration of that romance by Chaucer all are subjected to his wondrous alchemy; and new forms and combinations are called forth so lifelike, that all the representations which have preceded them, look cold and rigid statues, not warm and breathing men and women.“ — Coleridgius eam ducit grandem historicam fabulam esse, robusto A. Duereri pingendi genere depictam, eo quidem consilio, ut veteres pagani heroës in conspectu ponerentur transfigurati in Christianos ordinis equestris bellatores aeque rudes, sed firmiore ingenio et majore corporis dignitate praeditos et ut primae lucidae ac venustae Homeri carminis lineae in romantici dramatis viscera transirent. „To translate the poëtic heroes of paganism into the not less rude, but more intellectually vigourous and more featurely warriors of Christian chivalry and to substantiate the distinct and graceful profiles or outlines of the Homeric epic into the flesh and blood of the romantic drama — in short to give a grand history-piece in the robust style of Albrecht Duerer“. — Immodicas has sententias de iis, quae poëta in hac fabula condenda potissime spectaverit, in elatissima illa commendatione primae editionis quartanariae nixas esse crederes, quae incipit: „Eternal reader, you have here a new play, never staled with the stage, never clapper-clawed with the palms of the vulgar, and yet passing full of the palm comical; for it is a birth of your brain.“ et: „Amongst all there is none more witty than this: and had I time, I would comment upon it, though I know it needs not“ etc. Secuti sunt fabulam profusis laudibus ornantes Tieckius et Ulricius, quorum hic poëtam insuper morum Christianorum praeceptorem esse vult, ille amoribus Troili et Cressidae in medio dramate positis fabulaque in universum

considerata, nihil aliud quam comica elementa reperiri posse probat. Etiam Gervinus haud satis compertum habere videtur, quid de singulari fabulae natura scenica pro certo dicat, quippe quam initio comoediam, tum „dramatischer Schwank", post tragi-comoediam appellet. — A proposito meo non alienum puto me hoc loco ea docere quae celeberrimi illi recentiorum temporum Shaksperii ingenii interpretes doctissimi nec non subtilissimi „Gervinus et Ulricius" de hoc dramate cogitaverunt, ut opinionibus eorum ea, qua par est, diligentia perlustratis intelligatur, in quibus rebus et quo jure meum cum illorum discrepet judicium. — Gervinus Shaksperium Vergilii de bello Trojano sententiam secutum Homero tanquam adversarium se opposuisse conjicit, quam quidem opinationem recte probari non posse profitetur. II. p. 260: „Es wäre nicht unmöglich, daß Shakespeare's Selbstgefühl ihn in der That gekitzelt hätte, sich in einem seiner Werke gradezu neben Homer zu stellen, und zwar indem er sich ihm entgegenstellte," et p. 261: „Dächte man sich, daß die Uebersetzung des Homer ihn zu irgend einer dichterischen, vielleicht gar nebenbuhlerischen Arbeit angeregt hätte, so würde er nicht so sehr wie Göthe versucht gewesen sein, sich neben ihn, sondern eher, sich ihm gegenüber zu stellen. Und man mag wohl glauben, daß dies in Troilus und Cressida wirklich seine Absicht war. Dies streng zu beweisen ist allerdings nicht möglich". Troili et Cressidae amores poëtam mira cum arte psychologica in comicam partem depinxisse, Gervinus existimat, ita quidem, ut de Cressidae natura et moribus quid lectori initio judicandum sit, non satis constet. — Mea quidem sententia elementa vere comica in his amoribus eam ob causam inveniri nequeunt, quod Troilus, exemplum fidissimi amatoris, — imo vero etiam in proverbium venit — ab inconstanti et libidinosa muliere contumeliose proditus neque risum movere neque misericordiam concitare potest. Deest „die Heiterkeit (ἡδονή) der ächten Komik" cfr. Fr. Theod. Vischeri Aesthetik, Vol. III. p. 1460, quum satiram scribere poëta voluerit in mulieris inconstantiam eamque ob causam

Troili fidissimum amorem acerbissimis facetiis irrideat. cfr. Lessingii Hamburgische Dramaturgie St. 28: „aber lachen und verlachen ist sehr weit auseinander“ etc., et St. 29: „Die Komödie will durch Lachen bessern, aber nicht eben durch Verlachen“. Quare cum Gervino consentire non possum dicente p. 266: „Aus dieser humoristischen Behandlung rechtfertigt sich, was wir sagten: Shakespeare hat die Liebesgeschichte von Troilus und Cressida von der komischen Seite gefaßt“, neque vero mihi satiricam horum amorum naturam esse sumenti pari modo ac Gervino mirum videri potest hanc fabulam animum omnino non commovere: „Es ist ganz auffallend, pergit Gervinus, wird aber von jedem Leser zugegeben werden, daß dieses Stück durchaus keine ächte Gemüthswirkung macht. Für irgend einen Charakter Theilnahme und Wärme, für irgend eine Situation Vorliebe, für irgend ein Leiden Mitleid, für ein Gelingen Mitfreude zu empfinden, wird Niemanden so leicht bei der Lesung dieses Stückes glücken; selbst nicht in dem Verhältnisse zwischen Troilus und Cressida, das mehr als aller andere Inhalt des Stückes zu dem Herzen spricht. Das Lüsterne will nicht reizen, das Elegische will nicht rühren; der Charakter des Troilus, in andere Umgebungen gebracht, würde ganz wie er ist, unser Interesse nicht wenig fesseln können und fast möchte man bedauern, daß eine so meisterlich angelegte Gestalt nicht anders, nicht in der Absicht verwendet ist, durch und für sich selbst zu interessiren; aber in dieser Verbindung ist dies nicht möglich.“ — Quum vero amores Troili unam tantum dramatis partem efficiant, majorem autem ex parodia, ut ita dicam, secundum Gervini sententiam mythicae Trojanae fabulae constare inveniamus, summo jure quaerimus, quid sit vinculi vel conjunctionis inter Troili calamitatem et bellum Trojanum. Minime mihi placent ea quae de hujus conjunctionis ratione ille commentator conjicit. Legimus p. 266: Er hat sie (Troili amores) zunächst wie Thersites, V. 4, in dem Stücke selbst bemerkt, mit einer zweiten Handlung, mit dem stolzen Stillliegen des Achill und Ajax in Verbindung gebracht und diese zweite Handlung hat es an

Wichtigkeit, an Ausdehnung, an Nachdruck der Behandlung dermaßen über die Geschichte von Troilus gewonnen, daß diese nur als eine Episode dagegen erscheint". — Equidem non plane intelligo, qua ratione discessus Achillis Ajacisque a pugna eorumque vita otiosa referri possit ad Troili amores. Immo postquam scenam dramatis commemoratam perlegi, dubium mihi visum est, num hoc loco duorum fabulae elementorum ullum vinculum inveniri possit. Comprobandae hujus sententiae causa Act. V., scenam quartam, quatenus huc pertinet, affero. Thersites: „Now they are clapper-clowing one another: I'll go look on. That dissembling abominable varlet Diomed has got that same scurvy doting foolish young knave's sleeve of Troy there, in his helm: I would fain see them meet; that that same young Trojan ass, that loves the whore there, might send that Greekish whoremasterly villain, with the sleeve, back to the dissembling luxurious drab of a sleeveless errand. O'the other side the policy of those crafty swearing rascals, — that stale old mouse-eaten dry cheese, Nestor, and that same dog-fox, Ulysses, — is not proved worth a blackberry: — The set me up, in policy, that mongrel cur, Ajax, against that dog of as bad a kind, Achilles; and now is the cur Ajax prouder than the cur Achilles, and will not arm to-day: whereupon the Grecians begin to proclaim barbarism, and policy grows into an ill opinion. Soft! here comes 'sleeve and th'other. — — Hold thy whore, Grecian! — now for thy whore, Trojan!" — Concurrunt Troilus et Diomedes una ex parte armis conflicturi de Cressidae vili amore, qui quasi praemium certaminis proponitur, ex altera parte Nestor et Ulysses accendunt Ajacem contra Achillem, quorum ille, Achille superbior, ipso die — to-day — pugnam recusat. Qua ratione ex his rebus Troili et Cressidae amores cum bello Trojano conjungantur, difficile est intellectu, nisi quis illo certamine inter Troilum et Diomedem duas fabulae partes satis connecti putet. Interrogantibus autem nobis, quae natura sit ipsius vinculi, quod aliud nec non arctius esse contendo, opus

est brevi docere, quae totius fabulae sit summa sententia et quo consilio poëta argumentum finxerit et formaverit. „Troilus and Cressida“ acerbissima satira est in muliebris sexus inconstantiam virorumque dementiam, qui caeci ad maculam et dedecus mulieris insano amore moveri pergunt. Hanc sententiam Shaksperius probat notis exemplis ex historia petitis. In grandi, ut ita dicam, podio belli Trojani omnibus conspicuae, positae cernuntur, impuro lumine fulgentes, duae mulieres totius sexus incestae imagines „Helena et Cressida“, quibus ex altera parte opponuntur decepti amatores inepti „Menelaus et Troilus“; respondent inter se partes Paridis et Diomedis tanquam corruptorum eodem modo quo partes Veneris et Pandari lenonum. — Quod si poëtae fuisse in condenda fabula consilium arbitramur, et intelligere possumus, cur Shaksperius tanta cum acerbitate in belli Trojani auctores invehatur eosque fatuorum instar irridendos proponat et Troili amores ethico quodam vinculo cum altera parte dramatis copulari persuasum habemus. Eandemque ob causam in ipsis amoribus non desideramus quae desiderat Gervinus „ächte Gemüthswirkung, Theilnahme und Wärme, Mitleiden und Mitfreude“, non miramur, fabulam carere festivitate et lepore, deesse *τὰ πάθη* (cfr. Aristotelis *Περὶ Ποιητικῆς* Cap. V. et VI.) solasque inveniri *περιπετείας* logorumque sales, comprehendimus, excusare nimirum non possumus, biliosam acerbitatem, qua Thersites, quem Chori partes agere negari non potest, decoris oblitus, teterrima convicia totumque virus contemtionis et derisionis in famosa duo paria virorum deceptorum mulierumque perjurarum omnesque belli Trojani duces evomat immo etiam maledicta ex trivio arripere non dubitet. Gervinus in extrema parte commentationis ad incertum nos revocat, quid de poëtae consilio fabulaeque natura sentiendum sit. Ipsum loquentem audiamus p. 282: „Man könnte daher sogar zweifeln, ob selbst von seiner (Shaksp.) eigenen Stelle gesehen seine Angriffe, wenn sie Homer und blos Homer gälten, nur gerecht und richtig seien. Man wird aber schon zweifeln, ob nur irgend ein ernstlicher Angriff be-

zweckt war; d. h. man schwankt, ob in dem Stücke humoristische oder satirische Absicht zu Grunde liege, ob es scherze oder spotte, ob Scherz oder Spott der Thatsache oder ihrer poetischen Gestaltungen, ob allen oder welchen von diesen Gestaltungen sie gelten. Dieser schwankende Charakter des Dramas und das trübe Verhältniß des Dichters zu trüben Quellen muß es machen, daß man von keinem Shakespeare'schen Stücke mit so viel Unbefriedigung hinweg geht, wie von diesem. Die wärmsten Bewunderer Shakespeares standen rathlos davor und selbst Coleridge erklärte, daß er eigentlich nicht wisse, was er davon sagen solle." — Ulricius ab his dubiis Gervini sententiis discrepans subtili nec non ingeniosa ratione ea quae de dramate nostro sentit, aperte judicat, non ita quidem ut singulis perlustratis certum judicium aperiat, sed ut ab initio ratam et immutabilem fabulae naturam statuat, quam summas tantum res attingens procedente commentatione adumbrare studet. — Quamquam infitiandum non est, viri doctissimi libellum sententiarum varietate ac gravitate abundare, tamen illud admirari satis non potui, quod tanta laude fabulam ornat, ut nihil omnino in ea quod vituperationem subeat, invenerit. Consilium quod fuerit poëtae, natura dramatis scenica, variorum ejus elementorum conjunctio: omnia tanquam explorata certioraque quam quae addubitentur, statuuntur. Afferre mihi liceat quae de fabulae sententia primaria Ulricius colligit. „Die Grundidee ist: den tiefen, durchgreifenden Gegensatz der Geistes- und Lebensbildung des Alterthums, gegenüber dem neuen Lebensprinzipe des Christenthums besonders von der sittlichen Seite her, innerhalb der komischen Weltanschauung zur Darstellung zu bringen" et pag. seq. „Aber er (Shaksp.) sah mit prophetischem Auge auf die dunkeln Abgründe, den tiefen Riß im religiösen und sittlichen Leben vor sich, der unvermeidlich erfolgen mußte, sobald der christliche Geist jener nachahmenden Bewunderung (des Alterthums) einseitig sich überließ. Dann mußte er wenigstens vorübergehend auf den niedern Standpunkt der Religion und Sittlichkeit herabsinken, den das Alterthum einnahm, was ja,

wenn wir den Charakter des achtzehnten Jahrhunderts näher betrachten, in der That erfolgt ist. Aus diesem Sehergeiste heraus, der das Dunkel kommender Jahrhunderte wie die Nebel einer fernen Vergangenheit mit gleicher Klarheit durchschaut, schrieb Shakespeare seine bedeutungsschwere Satire auf das Homerische Heroenthum." — Quamquam inter studiosissimos divini Shaksperii ingenii cultores numerari possum neque ad invenienda ea, quae Ulricius detexisse contendit, promptissimo animo non eram, attamen fabula quam maxima diligentia pertractata confitendum mihi est, neque in Troili amoribus, neque in turba imaginum depravatarum et in pejus pictarum Graecorum et Trojanorum heroum neque in Thersitis conviciis obscenis neque in Pandari epilogo lenonis me alia atque acerbissimae irrisionis elementa satirica invenire potuisse quae „nullius Veneris" omnique vi comica dejecta quae sublimia ars spectare debet consequi nequeunt. cfr. Fried. Theod. Vischeri Aesth. I. 431: „Wie alle Komik von dem Gemeinen, indem sie es aufdeckt, aber zugleich das Licht des Geistes in dasselbe fortleitet, vielmehr befreit" et seq., et Schilleri Gedanken über den Gebrauch des Gemeinen und Niedrigen in der Kunst: „Es giebt zwar Fälle" et seq. —

Jam ne dubitatione et conjecturis obturbemur, incerti, quo fabulae argumentum spectare judicemus, singulas ipsius scenas et personas diligentius explicare conabor, quibus recte perlustratis fieri non potest, quin primaria poetae sententia, quam supra commemoravi enucleetur. —

Act. I. scen. I.*) Troilus verbis effusis Pandaro profitetur, se amore incensum esse: „I am weaker, ait, than a woman's tear, tamer than sleep, fonder than ignorance" etc. Pandarus, qui puellam mox Trojam relicturam patremque ad Graecorum castra comitaturam esse, nunciat, miseri amantis animum multo acrius incitat eumque paene ad desperatio-

*) cfr. Shakespeare's Werke, herausgegeben und erklärt von Dr. Nicolaus Delius. Elberfeld, 1855. Bd. II. Troilus and Cressida, p. 12.

nem adducit. Troili amor inepta est animi perturbatio pueri pubescentis, libidinoso ardore incensi magnorumque, quibus prae omnibus excellat, facinorum cupidi. cfr. IV., 5: „The youngest son of Priam“ etc. Cressidae pulchritudinem supra veram praedicat; imo vero amoris igni furens amatae puellae oculos, capillum, genas, vocem ut divina quaedam adorat. Prae candore manus puellae omnia alba atramenti instar apparere, Cressidam tactu molliorem levioremque esse cygni plumis quas, cum ipsa comparatas horridas esse, ipsamque elegantiam duram reperiri ut rustici palmam; praeterea saevam et fastosam in alios petitores Cressidam esse putat. Jam pulcherrima usus allegoria dignaque, qua melior celebretur amor, de se dilectaque femina praedicat:

„Her bed is India, there she lies, a pearl“ etc. —

Excitatus e somniis amatoriis ab Aenea, qui nunciat, Paridem in pugna a Menelao vulneratum esse, Troilus facere non potest, quin facetius quam decentius exclamet: „Let Paris bleed“ etc., deinde illum ducem sequitur quo loco Trojani et Graeci pugnant. Cognoscendae Cressidae, castissimae Indiae margaritae cupidos spes non fallit, quum pro virgine divina pulchritudine et castitate ornata callidam dolosamque mulierem inveniamus, turpiter ludentem verbis ambiguis insulsisque, meram juvenum circumspectatricem infimi ordinis. His fere coloribus poëta Cressidae imaginem reddidit; ea apparet in dialogo cum Pandaro avunculo habito, cujus persona, ut versutissimi libidinis magistri, eximia cum arte depingitur.

Uterque oculos convertit in Trojanos e pugna redeuntes; Pandarus astute effert Troili virtutes, a quo omnes Trojanos, imo Hectorem ipsum, superari dicit corporis viribus, pulchritudine, fortitudine; Helenam ejus amore inflammatam esse; comparatos cum ipso aquilae speciem praebente omnes alios heroes tanquam cornices et columbas apparere: „Non comprehendo,“ sic Cressidam alloquitur, „quidni tu quoque eum ames, cur tantum dissentias ab aliis puellis; nemo est, qui noverit, in quo munimento incubes“. Cressidae responsio:

„In tergo, ut ventrem defendam,“ nec minus ea, quae Pandaro profecto de amore loquitur, vulgares vilesque ejus mores demonstrant. Quamvis se Pandarum amare confiteatur: „Then though my heart firm love doth bear“ — ac si talis mulier impudica vera caritate virum complecti posset! — tamen eum a se prohibet, quum acuti ingenii mulier rerumque amatoriarum peritissima non ignoret proverbia, quibus callide utendis mysteria amorum lascivorum contineantur. E. g.: „Women are angels wooing“ etc. — Talis dominae amore incensus cupiditatis vinculis opprimitur. Num igitur destituto denique et a castissima, quae olim vocabatur, Indiae margarita ignominiose projecto viro misericordia nostra impertiri potest!

In toto hoc amore momentum vere tragicum omnino non reperitur. — Act. III. I. Troilum invenimus summa perfusum voluptate, quum in eo sit, ut amoris fructum carpat. Aedes amicae circumit, veluti animus post mortem in Stygiis ripis vagatur, desiderio flagrans, ut transvehatur. „Utinam tu sis Charon!“ exclamat ad Pandarum conversus. — Jam scena insignis obscoenitatis spectari licet, qua spurciorem nullam omnino excogitare possimus.*) Non puto esse qui de talibus rebus rideant utpote quae „sine pondere et arte“ (Horat. epist. ad Pison. 319) aversationem potius quam voluptatem praebent et laborare videantur ex „furchtbare Erdenschwere des Häßlichen“. (Vischer p. 1462.)

Ipsa quae fiunt in lupanari „Pericles IV. 6.“ si comparantur cum Act. III. 2 nostrae fabulae, virtutem crepare videntur, quippe quae intra decora teneantur. Tantum abest, ut Pandari sermo sexui muliebri, qui debetur, honorem tribuat, ut, quamvis respiciamus, Shaksperii tempore**) spectatrices confusiones celandae causa capiti personas imposu-

---

*) cfr. Richardson's Essays. London 1784. p. 114.
Rob. Chambers. Edinburgh 1844. I. p. 180.

**) cfr. Eschenburg: Ueber W. Shakspeare. Zürich 1787. p. 223.

isse, tamen fieri non possit, quin poëtam omnia moderationis et pudoris repagula perfregisse existimemus.*) —

Multis inter se datis mutuae fidei affirmationibus multisque lacrimis profusis tandem discedunt. Cressida in castris Graecorum cum Antenore commutanda Diomedi comiti a Troilo traditur. Paucis horis post introducta apud principes Graecorum duces — proh mulieris perfidiam! — non solum a singulis, qui adsunt, se osculis excipi sinit, sed ipsa libidinem virorum, nictu verbisque lascivis provocat. Ulysses, versutissimis et perspicax — *πολυμήχατος* — *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω* — cognito errore in quo alii de mulieris ingenio versantur, postquam ejus naturam ex oculis, vultu, fronte pernovit, ipsum animum perspicit. Certis signis toto scortorum ordine descripto: „Fie exclamat, Fie upon her!“ — Troilus qui mane promisit, se ipso die amicam visurum esse, sub vesperum, dum viarum ignarus per agros vagatur, cum Ulysse congreditur, a quo ad Calchae tabernaculum comitatus Cressidam secreto cum Diomede colloqui audit. V. 2. Hic intelligi potest, quanta cum levitate mulier fidem, amico paullo ante datam, frangat. Vix a Troilo discesserat, quum recenti comitis amore incensa se eum noctu domi excepturam esse promisit. Urbanae Graeci calliditati quam contraria rustica Troili simplicitas reperitur! Diomedes, qui non verbis, sed re amari vult, — „Non placent blanditiae!“ — leves puellae dubitationes brevi vincit. Cressidam perjurium eo excusare non pudet quod mulierum sexum infirmum debilemque esse profitetur. — Mera impudicitia ita patefacta manifesto Cressida scortum apparet, nequaquam meritorium, quippe quae natura, non mercede, ad res venereas stimuletur. — Nonnullis poëtae nostri commentatoribus**) contrarius concedere non pos-

---

*) cfr. Carl. Rosenkranz: Aesthetik des Häßlichen p. 298, 300, 312, 322. — et Vischeri „Gerade die allzu eindeutige Zweideutigkeit ist häßlich“.

**) cfr. Knightius et Gervinus.

sum, Shaksperium in depingenda hac persona multum operae et artis collocasse. Ubinam, quaeso, amor qui subito, saepe nobis inscientibus, nascitur et paullatim in difficultatibus convalescens totum animum flamma incendit? Ubinam certamen inter praecepta et studia, inter officia et animi impetus, ubinam callidae fallaciae? Breviter: Loco nodi,*) qui expediatur, fundamenta horum amorum et conjunctiones in sola libidine posita sunt.

Cressida ubi in scenam prodit, speciem lascivae et versutae mulieris prae se fert; tum Troili est concubina, deinde osculis excipitur a ducibus Graecorum, postrema cum Diomede est concubitura. Ita Cressidae, velut scorti, persona magna constantia per totam fabulam sustinetur. His de causis valde dubito, num lector vel spectator hujus fabulae vera Troili misericordia moveri possit, etiam tum, cum fascia ab oculis abrepta agnoscere facta cogitur, quae frustra negare velit. Praesens vidit audivitque; attamen: „Shall I not lie in publishing a truth?“ Quamquam Troili personam diligentius quam Cressidae a poëta depictam esse negari non potest, tamen animi delectatione non afficimur, quum ipsa persona tragicam voluptatem — comicam nemo desideret — non afferat. Imo vero etiam animus noster magis inclinat, ut gaudeamus quam maereamus, Troilum tandem liberari a muliere contemtu nostro digniore quam ipse amator Diomedes. Quibus de rebus fieri non potest, quin fabulae argumentum, quatenus in Troili et Cressidae amore positum est, quum satira habeatur, qua poëta infirmitatem mulierum irrideat, tum carmen probrosum, quo auctor in totius sexus muliebris pravitatem invehatur. Scortum constans — quam mira contradictio in adjecto! — Quantum discesserit Shaksperius a Chauceri carmine epico, optime intelligi potest ex Cressidae et Creseidae personis accurate inter se comparatis. Quanta mulierum dissimili-

*) cfr. W. A. von Schlegel: Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur. Heidelberg, 1817. II. p. 80. —

tudo! Apud Chaucerum Creseida vidua est magna corporis pulchritudine et morum castitate.

„And as a widow was she, and all alone“ —
— „Most fairest ladie far passing every wight
So angelike shone her native baute.“ etc. —

Neque cupiditate impulsa neque Troili dignitate et divitiis captata, sed propter morum virtutem et vitae modestiam eum diligit.

„For trusteth well that your estate royall,
Ne vine delite, nor only worthinesse
Of you in werre or turnay marciall,
Ne pompe, array, nobley or eke richesse
Ne made me rue on your distresse,
But moral vertue, grounded upon trouth“ etc.

Animi motum moderate detegit, benevolae mulieris sincero usa sermone, aliena ab amoris ardore. Est enim Creseida vidua, quae bene novit vera a falsis secernere Troilumque magis fidum amicum quam amatorem habet. Hac mentis natura judiciique cauta subtilitate homines et res justo pretio aestimans mulier ad fidem, Troilo datam, frangendam adducitur. Postquam Trojam reliquit, in patris tabernaculo sedentem eam invenimus de conditione, quam Diomedes modo tulerat, secum meditantem. Blanditiis Graeci ducis minus permota apparet, quam curis affecta, unde ipsa indefensa praesidium sumat.

„Retourning in her soule aye up and down
The wordes of this suddaine Diomede,
His great exstate, and peril of the town,
And that she was alone and hat nede
Of friendes help.“ etc. —

Ita amico deserto habitat cum Diomede, quem tum demum diligere coepit, quum a Troilo in pugna, cujus ipsa auctor fuit, vulneratus domum redit.

„When through the body hurt was Diomede
Of Troilus, tho wept she many a tere —

And for to healen him of his smart
Men saine, I not, that she gave him her herte. —

Summam tantum rerum respiciens in Chauceri carmine, licet sit epicum, plura momenta vere dramatica inveniri posse contendo quam in magni Britanni fabula scenica. Apud Chaucerum Creseida digna est, quae ametur, quum morum castitate et urbanitate excellat atque recte ac merito nos Troili miseret eam amissam lugentis. Praeterea non peccat Creseida cupiditati cedens sed necessitati parens, postquam dubitatione et animi angore diu vexata est. —

Quod deest in Shaksperii poëmate quodvis animi affectuum certamen et conflictio, vel tragica vel comica — quae momenta sunt fons et principium, e quibus actionis unitas nasci debet — hoc vitiosissimum fabulae esse duco. Huc spectare videtur Dr. Johnsonii Preface to Shakspeare p. VII. „The plots are often so loosely formed, that a very slight consideration may improve them, and so carelessly pursued, that he seems not always fully to comprehend his own design“. Licet Troili et Cressidae amores in media fabula positi videantur, tamen insunt in dramate tot res adventiciae minorisque momenti, quae actionem quasi comitantur et concidunt, ut vix certo sciri possit, utrum Troili amores an ea, quae in castris Graecorum ante Trojam geruntur, fundamenta fabulae habenda sint. Si vero mecum summam fabulae sententiam in deridenda mulierum infirmitate — Woman thy name is frailty! et: Donna è mobile! — in Cressidae et Helenae personis positam esse judicas, communi vinculo ethico varia dramatis elementa connecti elucet. Shaksperius hujus consilii memor inde a Prologo:

— within whose strong immures
The ravish'd Helen, Menelaus' queen
With wanton Paris sleeps; and that's the quarrel. —

per totum drama usque ad ipsum Epilogum, qui minime supervacaneus, ut Steevens vult (Gervinus II. 266) sed omnino necessarius mihi videtur, Helenae Cressidaeque personas tangit respicitque, quo spectent, ita ut hujus rei ratione

habita mirari nequeamus Pandarum in extrema fabula in conspectum redire discedentemque compellare scorta, meretrices, lenones tanquam primarios hujus satirae spectatores.

Quum rerum materiam, quam Chaucerus poëtae nostro praebuit, Shaksperius ita mutavit, ut summas tantum rerum retinuerit, tum historica, quae in Lydgatii „Troye Boke“, in Caxtonii „Recuyles“ et in Homero a Chapmanio translato invenit, eadem libertate sui judicii fecit. — Troja a Graecis obsessa, copiarum status et conditio, discordiae inter duces, sermones in castris habiti, pugnae tumultus et certamina — breviter: belli Trojani summa depingitur omnesque hae imagines tam verae vividaeque ante oculos spectatorum ponuntur, ut stupidi teneantur novis in scenam personis productis ac sermonibus non prius in publico auditis. Mirae quas de bello Trojano poëta mente formavit insolitaeque, quas depinxit, res mea sententia maxime nituntur iis, quae de Helena ejusque partibus, quas in ipso bello agit, poëta cogitat. —

Quoniam inde ab Homero usque ad nostros dies tot diversae sententiae de levi sed venusta Menelai uxore auditae sunt eorumque, qui de ipsa scripserunt, numerus infinitus prope et innumerabilis est, non alienum puto delectu habito me docere, quatenus tres omnium temporum spectatissimi poëtae: Homerus, Goethius, Shaksperius in iis, quae de hac illustrissima femina cogitant, consentiant et discrepent. —

Ab Homero Paris, Priami filius, vir summa venustate, navibus in Graeciam profectus, Lacedaemone Menelai regis hospitio usus Helenam, Ledae et Jovis filiam, uxorem marito et multos regis thesauros abduxisse traditur. Sollemniis nuptiarum celebratis in littus Sidonium e navi egressi in Paridis patriam pervenerunt. Uxorem corruptam et hospitium a Paride violatum vindicaturi Menelaus et Agamemnon fratres fortissimos Graeciae heroës convocarunt. Troja obsidione a Graecis expugnata Menelaus cum uxore recuperata domum rediit. Ibi pace et concordia inter se

conciliata bene beateque eos vixisse Homerus memoriae prodit. Neque vero Helenam plane innocentem obstitisse, ne abduceretur, existimare possumus, quamquam Iliad. II. v. 356 et v. 590 desiderio pristini mariti affecta esse videtur:

τίσασθαι δ' Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε.

Motu proprio non invitam Paridem eam secutam esse legimus Iliad. III. v. 173, quo loco Priamum allocuta prorumpentibus lacrimis se filio et propinquis relictis cum Paride profectam esse queritur:

Ὡς ὄφελεν θάνατός μοι ἁδεῖν κακός, ὁππότε δεῦρο
υἱέϊ σῷ ἑπόμην — τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα.

Pari modo multis cum lacrimis Menelai et parentum desiderio capitur quum ab urbis muris Trojanorum et Graecorum copias conspicit. III. v. 139:

Ὣς εἰποῦσα θεὰ γλυκὺν ἵμερον ἔμβαλε θυμῷ
ἀνδρός τε προτέροιο καὶ ἄστεος ἠδὲ τοκήων. —
— — τέρεν κατὰ δάκρυ χέουσα. —

Sed quamvis non extra culpam esse Helenam putare liceat, Homero eam ob causam excusanda videtur, quod potentiae non mortalis viri sed Veneris deae cedens succubuit. Hoc respiciens Priamus eam alloquitur III. v. 162:

δεῦρο πάροιθ' ἐλθοῦσα, φίλον τέκος, ἵζευ ἐμεῖο,
ὄφρα ἴδῃ πρότερόν τε πόσιν, πηούς τε φίλους τε. —
οὔτι μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νυ μοι αἴτιοί εἰσιν. —

Neque minus affabilem erga fratris sororem se praestat Hector,quocum Helena fortunam adversam conqueritur: *οὔπω*, ait XXIV. v. 776, *σεῦ ἄκουσα κακὸν ἔπος, οὐδ' ἀσύφηλον.* — Nusquam ergo vituperari amabilem adulteram legimus, quamquam bello Helena auctore orto multae nobiles familiae Trojanorum florentissimis filiis orbatae erant. Homerus, facundus popularis opinionis interpres, omni culpa eam vacare vult; ipsi Helena est augusta regina, Jovis filia, divina pulchritudine ornata, cui resisti non potest. Talis postea veluti dea colebatur, templaque erant Helenae in multis Graeciae partibus ut Lacedaemone. Herodotus narrat I. 61: *ἐφόρες*

αὐτὴν ἀνὰ πᾶσαν ἡμέρην ἐς τὸ τῆς Ἑλένης ἱρὸν τὸ δ' ἔστι ἐν τῇ Θεράπνῃ καλευμένῃ etc. —

Mirum in modum cum Homero in iis quae de Helena uterque prodit, Aeschylum consentire reperimus, utpote qui, generosus et assiduus deorum cultor*) omnem culpam in Paridem conferat, protervum hospitii violatorem. cfr. Agamemn. v. 398 (Editio Schütz):

Οἷος καὶ Πάρις ἐλθὼν
Ἐς δόμον τὸν Ἀτρειδᾶν,
Ἤισχυνε ξενίαν τραπέ-
Ζαν κλοπαῖσι γυναικός. —

et v. 529:

Πάρις γὰρ οὔτε συντελὴς πόλις
Ἐξεύχεται τὸ δρᾶμα τοῦ πάθους πλέον.
Ὄφλων γὰρ ἁρπαγῆς τε καὶ κλοπῆς δίκην
Τοῦ ῥυσίου θ' ἥμαρτε, καὶ πανώλεθρον
Αὐτόχθονον πατρῷον ἔθρισεν δόμον.
Διπλᾶ δ' ἔτισαν Πριαμίδαι θ' ἁμάρτια. —

Homeri et Aeschyli de Helena tanquam dea venustissima judicium proxime sequitur Goethius, qui in secunda Faustii parte, Act. III., divinam ejus pulchritudinem praedicat:

„Halbgötter, Helden, Götter, ja Dämonen
Sie führten mich im Irren her und hin.“ etc.**)

Helena Goethio auctore plane puella abducitur a Theseo, qui primus magicam venustatis et gratiae muliebris vim cognoscit. Mox a fratribus vindicibus e servitute liberata amoris flammam in Troili animo incendit, sed pater severus invitam filiam Menelao in matrimonium dat. p. 176. In domo regis uxor fida materque diligens vixit quoad templi Cytherae visendi causa profecta a Paride, raptore Phrygio, ad Trojae littora adduceretur. Ibi Achillem tali amore in-

---

*) cfr. Lehrs: Populäre Aufsätze aus dem Alterthum, vorzugsweise zur Ethik und Religion der Griechen, Leipzig, 1856. p. 18.

**) Goethe's sämmtliche Werke in 40 Bänden. 1854. p. 194.

flammavit, ut jam mortuus acquiescere non posset, sed ex inferis evaderet. Animi eorum vinculo mutui amoris copulati repraesentare videntur conjunctionem inter pulcherrimam feminam et pulcherrimum virum.

„Ich als Idol ihm, dem Idol, verband ich mich.“

Troja a Graecis deleta maritus uxorem domum reductam immolari jussit, nam:

Untheilbar ist die Schönheit; der sie ganz besaß
Zerstört sie lieber, fluchend jedem Theilbesitz.

Sed deam venustissimam omni culpa vacare poëta persuasum habet, quae naturali quadam vi omnia amore penetrare cogatur. Helena servata cum Faustio congreditur, quem Goethius, mea quidem sententia, aetatis mediae principia romantica repraesentare vult. Domus regia, qua habitat, symbolis et imaginibus romanticismi ornata est. p. 185:

„Da seht ihr Säulen, Säulchen, Bogen, Bögelchen,
Altane, Galerien zu schauen aus und ein,
Und Wappen. — et
Da seht ihr Löwen, Adler, Klau' und Schnabel auch,
Dann Büffelhörner, Flügel, Rosen, Pfauenschweif,
Auch Streifen, gold und schwarz und silbern, blau und roth.“ —

Lynceus domus regiae praefectus Helenae illecebrosa venustate captus, amore furens pulchritudinem ejus divinam miris his versibus canit. p. 192:

„Laß mich knien, laß mich schauen,
Laß mich sterben, laß mich leben,
Denn schon bin ich hingegeben
Dieser gottgegeb'nen Frauen.“ — etc.

Jam Helena in Faustium incidit et summa pulchritudo antiquitatis Graecae et grandis sed informis romanticismi virtus quasi in unum confunduntur. Hujus conjugii progenies Euphorion quum immani insolentia periisset, Helena amoris et vitae vinculo rupto salvere Faustium jussit et diffluens ut aëris unda vestimenta conjugi reliquit. Quibus in nubes mutatis involutus Faustius quasi phaenomenon aufertur. —

Si Goethium, Aeschylum, Sophoclem in depingenda Helenae imagine Homerum proxime secutos esse elucet, scriptores posterioris temporis ab horum sententiis multum dissentire constat. Euripides a poëtis supra dictis adeo discrepat, ut Helenam scorti instar depingat. cfr. Orest. 128, Helen. 132, vel maxime Cyclop. 165:

Οὐκοῦν ἐπειδὴ τὴν νεᾶνιν εἵλετε

— —

— —

τὴν προδότιν. —

Similem contemptionem quam Euripides etiam Ovidius, Vergilius, Horatius Helenae afferunt.

Shaksperius ingreditur Euripidis vestigiis, certe inscius. Act. II. scen. II, Priamus ex filiis quaerit, num Helenam Graecis reddendam esse putent. Hectoris affirmationem Troilus reprobat atque mulierem, sanguine quidem, qui profundatur, non dignam, velut stimulum gloriae et honoris retinendam esse ostendit. „We turn not bak the silks upon the merchant, when we have spoiled them“ et: „Were it not glory, I would not wish a drop of Trojan blood spent more in her defence“.

Voces iis contrariae, quae satis benigne de Helena in regis familia sentiuntur, in Graecorum castris contumeliosae audiuntur, ipsis Euripidis conviciis acriores. cfr. Act. IV. scen. II. Cressidae Helenaeque inter se comparatis imaginibus fieri non potest, quin omnino non discrepare eas reperiamus, quum Helena, quotiescunque in scenam prodit, pariter ac Cressida, lascivam impudicamque mulierem se praebeat. Si ab illa parte Homeri sententiae de Graecorum et Trojanorum ducum virtute et auctoritate accommodatae apparent magnae opinioni, quam de diva Helena regina animo imbiberat, mirum non est, quare Shaksperius, quum Helenam scortum habeat, de toto bello Trojano atque de eorum, qui partem belli capesserunt, ingenio et moribus nisi contemptim non loquatur.

Cum bellum, adulterae recuperandae causa susceptum, plane ineptum ei videretur, imagines heroum Graecorum et Trojanorum tanquam fatuorum ridendas proposuit. Singulos illos perlustrare supervacaneum habeo, utpote quorum sermones tumeant lutosis, spurcis, obscoenis rebus. Hectoris mors fabulae tam subitum finem constituit, ut ignoremus, utra pars victrix discessura sit, quum neque Agamemnonis exclamatio: „Great Troy is ours!“ neque Troili jussus: „Strike a fresh march to Troy!“ rem explanare possit. Illustratur res claris Johnsonii verbis: „It may be observed that in many of his plays the latter part is evidently neglected. When he found himself near the end of his work and in view of his reward, he shortened the labour, to snatch the profit. He therefore remits his efforts, where he should most vigorously exert them, and his catastrophe is improbably produced or imperfectly represented.“ — Equidem poëtam non auri fame impulsum sed taedio quodam laboris parum jucundi captum hujus fabulae praematurum finem fecisse conjicere malo. —

Jam liceat paucis complecti ea, quae Shaksperium in hac fabula potissimum spectare ostendere conatus sum, ut sciri possit, quod nomen huic dramati tribuendum sit. Poëtam neque Comoediam, neque Tragoediam, neque Historiam, neque Drama tragicocomicum condere voluisse demonstravi, nec non satis gravia argumenta me attulisse spero, quae Shaksperium nihil aliud quam satiram acerbissimam in totius sexus muliebris infirmitatem scripsisse doceant. Fabulae nostrae simillima habenda est ea, cui inscribitur „Timon of Athens“, quippe quae pari modo in virorum inconstantiam invehatur. In utroque carmine poëta, cujus animus per ultimos quindecim vitae annos tristitia quadam obscuratus et taedio omnium rerum humanarum „dignitatis, pulchritudinis, amoris, amicitiae“ captus et ad desperationem prope adductus apparet, omnes leges, quae unitatem actionis scenicae respiciunt, neglexit vel potius contempsit. Hanc poëtae animi aegritudinem optime illustrari puto Sonnet. 66 versibus:

„Tir'd with all these, for restful death I cry" —
As, to behold desert a beggar born,
And needy nothing trimm'd in jollity,
And purest faith unhappily forsworn,
And gilded honour shamefully misplai'd,
And maiden virtue rudely strumpeted,
And right perfection wrongfully disgrac'd." et seq.

et Tempest. IV. 1:

„The cloud-capp'd towers, the gorgeus palaces,
The solemn temples, the great globe itself,
Yes, all which it interit, shall dissolve;" et seq.

Postquam vero Shaksperius ex tumultuosa urbe, laboribus muneris liberatus, rus habitatum abiit, vita quieta et otiosa tantum momenti ad leniendum et placandum poëtam habuit, ut postremae, quae vulgo habentur, munificae Musae fabulae „Cymbeline, Winter's Tale, The Tempest" animum auctoris sedatum sibique secum constantem demonstrent.